



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Trib[us] matrimonij bonis, mala multa opponi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

alia innumera molestia, quas nemo poterit omnino vitare. Sicut enim cum in dumeti transitu, spine alicuius vestibus adhaerunt, si is, ut una vellat, in aliqua se conuerterit partem, multis alijs pungitur; sic in re vxoria, qui hoc effugerit, laditur illo: qui vero illud euaserit, ad aliud offendet. Nullum denique omnino molestia expers reperies coniugium.

CAPVT XXXI.

Primum Matrimonij bonum, seu fides coniugalis, quanta perfidia, quantisq; adulterijs infestetur?



Stendi supra, ex D. Augustino, tria esse bona, quibus coniugium honestatur acceptiusque redditur; *Fidem, Prolem, Sacramentum*. De quibus illud intelligi potest:

*Honorabile coniugium in omnibus*; quæ coniugis sunt, scilicet, siue *Fides*, siue *Proles*, siue *Sacramentum* spectetur in eo. *Item in omnibus*, hoc est, apud omnes, etiam illos, qui virginitatem profitentur; neque enim & illi debent coniugium reprehendere. Non enim hoc malum, quia melior virginitas: quæ etsi optima est, tamen & coniugium bonum est, habetque bona illa tria peculiariter. Quid si tamen hæc ipsa bona grandibus malis vitiantur? ut ad matrimonium dici possit: *Si ergo lumen, quod in te est, tenebra sunt: ipse tenebra quanta erunt?* Nam quoties, in matrimonijs, nulla *Fides*, nulla *Proles*, nullum *Sacramentum*, quia & nullum sæpe matrimonium, nisi putatum? Atque, ut de *fide* primò loquamur, quis nescit, non esse multas *Sufannas*, non multas *Lucretias*, aut *Penelopas*? nec multas *Saras*, quæ maritum *Dominum* soleant appellare? Plurimas autem, quæ *Putipharis* vxorem, quæ *Helenam*, quæ *Messalinam* insatiabilis libidinis feminam, quæ *Vasthi* reginam, superbum animal imitentur? Nullum satis magnum foret volumen, in quo adulteræ, adulterique omnes possent enumerari. Nam neque viri omnes sunt sancti. Quod *Ariadna* illa quæsa, cum, in insula, à *Theseo* exposita relinqueretur, apud *Poëtam*, dixit:

*Iam nunc nulla viro juranti femina credat,  
Nulla viri speret sermones esse fideles.*

Aaa 3

Promit-

I.  
S Aug. lib. 9.  
in Gen. c. 7.  
Hebr. 12. 4.  
Folgent. l. de  
fide ad Petr.  
cap. 3.  
Matth. 6. 23.  
Gen. 18.  
Esther. 1.  
Sueton. in  
Claudio. Ta-  
cit. lib. 11.  
Carull. de  
Nuptij. Pelci  
& Thetidis.